rum anfractibus detinere, nolo vos per dolos circum ducere. Quin potius divinatoriam hanc meam virgam terræ cum strepitu illido et inter illidendum Q. Horatium Flaccum ex Elysiis campis provoco. Prodeat is in apertum theatrum ac audiat, quid velint hodie superi, quod in hac seculari panegyri agat. Heus, heus Q. Horati Flacce, prodi in has auras ex Elysia sede, prodi ab inferis; non est quod tria custodis Orcini latrantia in transitu timeas colla. Jamdudum enim ego ea tibi exoravi, ne horrendo suo latratu, dum transis, regna inferorum personet. Prodi, repeto, quid moraris unice Lyricorum princeps, quid tardas unicum Principis quondam Octaviani Augusti delicium? quid cunctaris ejusdem summi Imperatoris amplexus petere, cum quo ipse versari familiariter ac conferre non rarò sermones de arduis Reipublicæ rebus es solitus? Sed eccum! quem prodeuntem hic video? Nonne cum fulmine et fulgure, si me si mei non per omnia fallunt oculi, fulmen suo ævo et fulgur qui erat in Actiaca pugna Antonio, in medium procedit. Augustissimus scilicet Octavianus est, Augustus quiritibus stipatus egreditur ab inferis, secumque manu dextra junctum trahit combibonem suum Q. Horat. Flaccum. Salve mihi, vel millies salve par nobile fratrum, quos nulla unquam solvere vis potuit,

Sive per Syrtes iter æstuosas
Sive facturi per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
lambit Hydaspes.

Ne tamen frustrà huc prodiisse videamini, agite o mei, paulò propius huc advolate, et seculare gaudium hilari (sic volentibus Dijs) vultu ac serena fronte contestamini. Tu verò nominatim Q. Horati Flacce, à flaccis ac pendulis tuis auribus sic dicte, esto gaudiorum mecum post primum hoc a primi Rectoris P. Vincentij, viri literatissimi introductione elapsum seculum plenissimus, et te tuamque Lyram de meliori nota, à primo videlicet ortu, ac felici progressu, carmine utens Lyrico, Parnassi hujus Nissiaci civibus commenda. Tandem verò, ut suaviter sonantis Lyræ tuæ specimen, ad plures reversurus, relinquas, ter tres lectos pueros, totidemque lectas virgines, omnes patrimos, matrimos viva voce accerse, ut seculare tuum carmen, quod quondam Augusti tui semper augusti jussu post Actiacam pugnam à Livio Andronico minus versu prius scriptum emendasti, ac metro Sapphico canendum publicasti, in elapsi seculi memoriam alta voce concinant. Ego interim dispareo vosque ut et quod vestrum est, hic agatis, in theatro relinquo. State ut Romanos decet viros, remque in hac vestra statione Deorum jussu, agite strenuè.

Joh. GVILHELMVS [illegible]